



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.
Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

**Torres, Francisco de
Coloniae Agrippinae, 1580**

VD16 ZV 18729

Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33634

in vtr n ostri Pontifices sint Antichristus: quare te ipsum reum facis mendacij, & falsæ criminacionis. Et magis exercitationem declamationis quam criminis accusationem attulisse te significas, cum ais, sic enim varîe disputari solet. Ad reliqua huius clausule iam est à me affatim responsum. Atq; hæcenus de toto tuo capite nono. Aggrediamur locum decimum.

Quomodo Antonius reū se facit mendacij, & falsæ criminacionis. Antonius declamator potius quæ accusator.

Locus Decimus Matthæi 28.

Profecti ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandauit vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.

Sophisma Turriani.

CAPVT I.

AD superiorem prophetiam Esaiæ pertinet, quod Dominus ait in Euangelio, euntes ergo docete omnes gentes, &c. & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi. Quomodo enim cum Apostolis, qui iam à vita recesserunt, adhuc manet vsque ad consummationem sæculi, nisi quia viuunt Apostoli in suis successoribus? Qui enim hos audiunt, apostolos audiunt, & per hanc ordinariam successionem Dominus implet promissionem suam manendi in Ecclesia cū apostolis vsq; ad consummationem sæculi, & semper est cū apostolis docendo, baptizando, & prædicando per eorū successores. Sic enim Christus, & ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi, vobiscum, inquã, sum instituendo, baptizando, & doctrinam mandatorum tradendo. Hæc autem cum non faciat Dominus visibiliter, necesse est per ministros faciat; qui cum sint mortales, consequens est, vt promittat hic successionem ordinariã vicariæ ordinationis ministrorum, qui sunt Episcopi. Quare qui habent ministros non succedentes Apostolis, successionem vicariæ ordinationis, hi Christum non habent cum illis ipsis manentem vsque ad consummationem sæculi. Hæc tu ex meo libro, notatis paginis 102. 103. 104. 105. recitasti non eodem ordine, neq; continuat a serie, & prætermisisti multis, quæ negare puduit, & refellere non potuisti. Repetam illa hic, vt intelligant tui, quam bona fide mecū agas, id est, quam veteratorie. Postquam dixi percunctando, Quomodo enim cum Apostolis, qui iam à vita recesserunt, adhuc manet vsque ad consummationem sæculi, nisi quia viuunt Apostoli in suis successoribus? qui enim hos audiunt, Apostolos audiunt, & qui Apostolos in

Prætermisisti ex meo libro Antonius, quæ negare puduit, & refellere non potuit.

S

successo-

Quæ Anto-
nius præter-
miserit ex
meo libro,
cum alia re
cutasset.

Gravissima
interpretatio
illius loci
Euangelici,
ecce ego vo-
biscum sum,
&c. de suc-
cessione Epi-
scoporū in
locum apo-
stolorum ex
const. ap-
ost. ab Antonio
dissimula-
ta, & quare
Cypriani
testimoniū
simili calli-
ditate ab
Antonio
dissimulan-
ter præter-
missum de
Episcopis, q
vicaria or-
dinatione
Apostolis
succedunt.

Quomodo
curtè & mu-
tilatè calli-
do artificio
mea recitat
Antonius.

successoribus audiunt, Christum ipsum in Apostolis immediatè locutū audiunt. Hæc tu recitasti, sequebatur in meo libro, immò ne sine auctore loquamur, cite-
mus Clementem Romanum Apostolicum auctorem loci huius interpretem de
successione ordinaria Episcoporum in locum Apostolorum. Is enim in extrema
parte libri septimi de constitutionibus Apostolorum, describens, & enumerans
eos Episcopos, quos sancti Apostoli dum viuerent, in paræcijs ordinarunt, ad
extremum subiungit loquens more suo in persona Apostolorum, Hi sunt, quibus
paræcia Domini à nobis commissa sunt, quorum doctrina memores seruate no-
stros se mones, & sit Dominus vobiscum nunc, & in tempora infinita, sicut ipse
nobis dixit, cū esset assumendus ad Deum et patrem suum, ecce enim ego vo-
biscum sum vsq; ad consummationē seculi. Hactenus Clem. Hæc sunt à te præ-
termissa, qua nullo modo erant silentio dissimulanda, præsertim cū hic gra-
uissima interpretatio illius euangelici loci, ecce ego vobiscum sum, de successione
episcoporum in locū Apostolorum, quā tu negas, contineatur. Sed quia cancella-
tionem hic nō reperisti, & tam antiqui scriptoris, ne quid aliud dicam, et clori-
tatem negare puduit, callidè dissimulasti. Illa quoque paulo post simili artificio
dissimulandi præterita sunt: sic enim scripsi: Vt enim quod Dominus dixit Apo-
stolis, qui vos audit, me audit, &c. omnibus præpositis, qui Apostolis vicaria or-
dinatione succedunt, dixit, vt B. Cyprianus in epistola ad Pappianū ait: sic etiā
quod dixit eisdem Apostolis, ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem
seculi, similiter omnibus Episcopis, qui apostolis vicaria ordinatione succedunt,
dixit. Hoc quoq; testimonium Cypriani, quibus illa dicta sint, qui vos audit, me
audit, quod vestris ministris non conuenit, non erat à te dissimulante præter-
eundum, cum hac auctoritate Cypriani probarem illud, ecce ego vobiscum sum
vsq; ad consummationem seculi, similiter dictum esse ijs, qui vicaria ordinatio-
ne sanctis Apostolis succedunt, qui sunt Episcopi Catholici. Sed puditum etiam
est contradicere Cypriano, qui clarè testatur, qui vestros ministros audiunt,
non audire Christum, quia vicaria ordinatione, vt tu vides, non succedunt
Apostolis.

Recitasti deinde, qua sequuntur, sed curtè, & mutilatè. Quare qui ha-
bent ministros non succedentes Apostolis successione vicariæ or-
dinationis, hi Christum non habent cum ipsis illis ministris ma-
nentem vsque ad consummationem seculi, neque de ore suo per
eisdem loquentem. Hi à te recitatis adiunxi, Neq; certum habere possunt

de doctrina verbi, quam illi tradunt, quòd Apostolica sit, quia non possunt per
successionem vicaria ordinationis reuocare eam ad Apostolos, & per Aposto-
los ad Christum: per quem, vt Ap-
stolus ait, cū initium accepisset enarrari ab
ijs, qui audierunt, id est, ab Apostolis, in nos confirmata est, contestate Deo si-
gni, &

gnis, & portentis, & varijs virtutibus, & spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Hæc etiam dissimulasti, in quibus continetur ratio habenda id certum de doctrina, quæ trahitur in Ecclesia, an sit Apostolica, reuocando scilicet eam ad Apostolos per successionem vicaria ordinationis, quo genere vsi sunt, & vtendum esse docent Tertullianus, & eo antiquior Irenæus. Hoc etiam contra Faustum Manicheum vsus est August. Quod quidem quia tu facere in doctrina Lutheri ante annos vix quinquaginta inuenta & nata, nõ potes, callidè recitata decurtasti. Sed accedamus iam ad tuas sophisticas cauillationes mendacijs plenas, quibus te dicis sophisma meum, quod vocas, soluere. Hæc, inquis, duobus modis à Turriano peccatur. Primum enim promissionem præsentia Christi ad solos ministros Ecclesiæ restringit, quæ tamen pertinet ad vniuersam Ecclesiam. Mendacium est hoc, quod ais me ad solos ministros Ecclesiæ promissionem præsentia Christi restringere. Ostende vbi ego dixerim per solã successionem ordinariam Episcoporum esse Christum in Ecclesia. aut nunquid quia dico, quod Christus apostolis dixit, ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi, persici per ordinariam successionem Episcoporum in locum Apostolorum, inde sequitur, vt Christus cum successoribus Apostolorum solum sit? & non etiam cum Ecclesia, siue parua, siue magna? ipse enim dixit in euãgelio Matt. vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et libro superiore contra te docui, cum Dominus pro Petro rogauit, ne fides eius deficeret, simul rogasse pro Ecclesia; cum Ecclesia sit, vt B. Cyprianus ait, quod à me millies repetitum est, plebs Episcopo suo adunata, & grex pastori suo adherens, quomodo potest esse Dominus cum Episcopo, quin sit cum populo eius? quõ cum pastore, quin sit cum grege? etenim si pastor est, gregis pastor est; et si grex, pastoris grex. Et idem Cypr. ait Episcopum esse in ecclesia; & Ecclesiã in episcopo. Sed nos nõ de hoc disceptamus, vtum Dominus promiserit futurum se vsq; ad consummationem sæculi cum Ecclesia, sed an promiserit etiam se futurum cum Apostolis? Quod si promiserit, necesse est, vt in successoribus eorum hoc præstet, cum apostoli mortales fuerint, & permanere nõ potuerint. Not. aut. B. Cyrillus in commentarijs Zach. propheta c. 3. solere in scripturis sanctis accipi sacerdotem pro toto populo, vt in eo quod ait, & ostendit mihi dominus Iesum sacerdotem magnum stantem ceram Angelo Domini, siue, vt est apud LXX. ante faciem angeli Domini. Et si enim iam hæc ad effectum perducta erant, iam enim populus duce Zorobabele, & Iesu filio Iosedec sacerdote magno à captiuitate liberatus, & in Iudæam reductus erat, tamen quia hæc antequam euenirent, Zacharias per gratiam propheticam viderat, & ex quoquod, vt ait Cyrillus, id est, non frustra, & vanè, sed vtiliter, & magna cum ratione narrauit, se res ipsas au-

Quæ dissimulauerit Antoni in quibus continebatur ratio habendi certũ, & exploratũ, esse doctrinam, quæ in ecclesia traditur, Apostolicam. Quo genere explorandi doctrinam, an apostolica sit, vsi sũt Irenæus, Tertullianus, August. Antoni mendacium manifestũ.

Quomodo non potest esse Dominus cum Episcopo, quin sit cum populo eius? sit cum ecclesia eius.

Cõsuetudo scriptura à Cyrillo obseruata accipiendi sacerdotẽ pro toto populo. Quare Zacharias ea, quæ iam eueniant dixit se viderẽ antequam euenirent.

te a vidisse, vt vel sic populum maiore auctoritate ad conseruandā memoriā beneficij accepti, & diligentius à peccatis declinandum incitaret. Iesus ergo ostensus Zacharia ante faciem angeli, erat cunctus populus à captiuitate liberatus; postquam enim, ait Cyrillus, à facie Dei recessit, seruiens idolis, & legem Moysis violans, rursus per solutis pœnis reuocatus est ad faciem, & conspectum Angeli Dei; hoc puto, inquit, significat stare sacerdotem Iosedec, ante faciem Angeli Domini, in ira enim auertitur facies, vnde Dauid, ne auertas, inquit, faciem tuam à me, &c. Hactenus Cyrillus. Probat præterea quod dicit, accipi

Quomodo
sacerdos p
populo ac
cipitur in
scriptura.
Quid signi
ficaret in æ
nigmatē Ie
sus filius Ie
sedec indu
tus vestibus
sordidis.
Quomodo
cum Domi
nus dixit a
postolis ec
ce ego vo
bis sum, Apo
stolos ac
cepit non
solum pro
successorib
eorū, id est,
Episcopis,
sed etiā pro
ecclesijs eo
rum Apo
stolicis.
Quid Ter
tullianus de
Apostolicis
Ecclesijs
scripserit,
quomodo
omnes Ec
clesia, quæ
Romanæ
adhærent,
sint aposto
lica.

in scriptura sacerdotem pro populo, vt Dominus, inquit, dixit Moysi, ecce ego accipi Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito Num. 6. 3. hinc etiam illud, quod in Zacharia sequitur, & Iesus erat indutus vestibus sordidis, eodem modo ait significari nomine Iesu sacerdotis, populum, cuius peccata in ænigmatē significabant vestes sordidæ, postquam enim pœnas peccatorum populus dedit in illa captiuitate, & pœnitentiā cœpit, misertus Dominus iussit exui eum peccatis, & indui gratia iustificante, ecce enim, inquit Dominus, abstulisti iniquitatem à te, & indui te mutatorijs. Secundum hanc consuetudinem scriptura, sicut in istis locis Iesus filius Iosedec sacerdos magnus pro cuncto populo, qui ei adhibebat, accipitur, sic etiam Petrus sacerdos magnus pro cuncto populo nouo, id est, pro vniuersa Ecclesia ei adhibente, sicut grex adheret pastori, accipitur, cum Dominus dicit in Euangelio rogasse pro Petro, ne deficeret fides eius, rogauit itaque, vt sapè dixi, pro Petro, & pro Ecclesia eius. Similiter, vt ad locum propositum redeamus, cum dixit Dominus sanctis Apostolis, ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi, Apostolos accepit nō solum pro successoribus eorum, qui sunt omnes Episcopi Catholici, sed pro cunctis populis eorum, siue pro omnibus Ecclesijs Apostolicis, de quibus doctissimus auctor Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorum sic de Apostolis loquens scripsit. Deinde, inquit, in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt; & proinde Ecclesias apud vnāquamque ciuitatem condiderunt: quibus traducem fidei, & semina doctrina cetera exinde Ecclesie mutuata sunt, & quotidie mutantur, vt Ecclesie fiant; ac per hoc, & ipsa Apostolica deputabuntur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum: omne genus ad originem suam censeatur, necesse est. itaque tot, ac tanta Ecclesia vna est illa ab Apostolis prima (Romanam dicit, de qua paulo antè) ex qua omnes, sic omnes prima, & omnes Apostolica: dum vnā omnes probant vnitatem. Hoc rursus, quomodo omnes Apostolica, & omnes prima, (primum enim non potest esse nisi vnum, & vnā ac primam paulo suprā vacauit Ecclesiam Romanam à Petro, & Paulo institutam, & eruditam, cui

præst.

praest successor Petri) paulo post magis adhuc declarat, cum ait, in eadem fide conspirantes non minus Apostolica deputantur pro consanguinitate doctrina. Similiter intellexit Tertullianus, quod dixit omnes prima scilicet deputantur pro consanguinitate doctrina, id est, quatenus cum illa vna, & prima, vna vnitatis omnium Ecclesiarum origo, in doctrina conspirant. Haec obiter amoto, vt à cauillationibus Antonij caueatur. Ex his intelligis iam quod Dominus promisit Apostolis, quos ad condendas Ecclesias, vt verbo Tertulliani vtar, mittebat, cum dixit, ecce ego vobiscum sum vsque ad consumptionem saeculi, non potuisse me ad solos ministros, vt tu fingis, restringere, quia in Apostolis erant Ecclesia Apostolica: & in successoribus Ecclesiarum eorum. Quare non à me, sed à te peccatum est, quia peccatum, vbi non erat, per calumniam notasti. Altero modo peccatum à me esse dicis, quod Episcopus Apostolorum successores eos tantum esse desinio, qui ordinariam successionem vicaria ordinatione habent, id est, qui in locum Apostolorum ordinantur. Hoc autem peccatum sic probas. Quia, inquis, Christus in hoc loco longè aliam notam ijs apponat, nempe docendi, seruare omnia, quae mandauit. Hanc igitur vim habet argumentatio tua, Christus praecepit Apostolis docere quacunque mandauit, ergo non sunt successores Apostolorum ij, qui ordinariam habent successionem vicaria ordinatione, id est, ij, qui in locum eorum per prophetiam cum impositione manuum presbyterij ordinati sunt. Iudicet Academia Sadeelis, an quidquam futilius induci potuerit. At hic continuè respondebit Antonius, quod paulo post dicit, ineptissimum esse omittere doctrinam, cuius nominatim meminit Christus, & solam vicariam ordinationem obtrudere, cuius Christus nullam hic mentionem fecit. Et paulo antè, manca est, inquit, haec limitatio, quam addit Turrianus de vicaria ordinatione. nam retinenda est in primis doctrinae successio, sine qua vicaria illa ordinatione toties à Turriano commendata nullius est momenti. Hic etiam mendacium committes Antoni, sine tali enim veluti familiari artis tuae instrumento tua defendere non potes. Vbi ego solam vicariam ordinationem dixi? vbi, inquam, addidi hanc limitationem, vt verbo tuo vtar, solum, aut tantum? Vbi ego exclusi à successione per vicariam ordinationem successionem doctrinae Catholicae? Quis non intelligit, cum haec mea legit, loqui me de successoribus Catholicis Apostolorum per vicariam ordinationem, nisi tu, qui cauillationes tantum venaris? Quis ignorat reperiri Episcopos haereticos, qui etsi Episcopi sunt, quia gratia, quam per prophetiam cum impositione manuum presbyterij acceperunt, adhuc in eis est, tamen quia non sunt haeredes fidei Apostolorum,

Quomodo omnes Ecclesiae quatenus cum Ecclesia vna & prima Romana in doctrina conspirant, vnde vnitatis omnium Ecclesiarum origo existit, omnes prima, & Apostolicae pro consanguinitate doctrinae auctore Tertulliano reputantur. Peccatum per calumniam ab Antonio notatum. Peccatum ab Antonio per ignorantiam confictum. Antonij argumētatio ab Academia eius iudicanda.

Mendacium Antoni.

& eorum doctrina non sunt digni, ut eorum successores nominentur. Nos ergo cum ita loquimur consuetudinem scripturæ sanctæ sequimur, quã vos Lutherani semper ignorare voluistis; ex qua ignoratione magna pars hæresis vestra manauit, scriptura enim, cum duo sunt, qua serungi non debent, frequentissimè satis habet alterum nominare, ut virumq; intelligatur. ut cum ait Apost. arbitramur per fidem hominem iustificari absq; operibus legis, fidem cum charitate intellexit. Vnde B. Ignatius in epist. ad Smyrnenses τὸ ἴδιον ἀποπέτυ, inquit, πῆτις καὶ ἀγάπη, ὧν οὐδὲν προέκρυται totum, inquit, est fides & charitas, quorum neutrum alteri antecellit, & in epistola ad Ephes. de fide, & charitate τὰ δὲ δύο ἐν ἐνότητι γενόμενα δεῦ ἕστιν, hac duo, inquit, in vnũ copulata Dei sunt. Hac vos ex quo disingere, auctore & duce Luthero, cœpistis. à successoribus Apostolorum Episcopis vos abstraxistis, quod fuit vestrorum malorum initium. Hinc beatus Ignatius in eadem epist. ad Smyrnenses μερισμοὺς, inquit, φεύγετε ὡς ἀρχὴν κακῶν, πάντες τῷ ἁπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς ἰησοῦς χριστὸς τῷ πατρὶ, καὶ τῷ πρεσβυτέρῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις. Fugite, inquit, diuisiones tanquam principium malorum, sequimini omnes Episcopum, ut Christus patrem: & cœtum Episcoporum tanquam Apostolos. Hoc enim significat τὸ πρεσβυτέριον σύστημα τῶν πρεσβυτέρων, τὸ ἐστὶ τῶν ἐπισκόπων. Sic interpretes Græci omnes interpretantur vocabulum presbyterij. Sic accipiendum est in epist. ad Timoth. de ordinatione Timothei Episcopi facta à pluribus Episcopis, secundum canonem Apostolicum, qui in Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffusa seruatur. Cum igitur præcipit B. Ignatius sequi presbyterium tanquam Apostolos, synodum Episcoporum intellexit. Hac enim Apostolos representat, siquidem ad exemplum, & imitationem eorum conuenire solent Episcopi ad quæstiones grauiores de dogmatibus, sicut conueniunt Apostoli cum Episcopis Hierosolymis propter eos, qui de hæresi Pharisæorum, cum aliqui credidissent, existimabant oportere credentes circumcidi, & seruare adhuc legem Moysis. Age nunc Antoni, amabo te, cum iubet B. Ignatius Episcopum sequi, sicut Christus patrem sequitur, & cōgregationem Episcoporum, tanquam cōgregationem Apostolorũ, loquebaturne de Episcopis, qui nihil aliud haberent præter gratiam vicaria ordinationis? qui vicaria, inquam, ordinatione Apostolis succederent, non autem in fide, & doctrina? Quis nisi amens dicitur est hoc? Sic nos Antoni de huiusmodi Episcoporum successionem vicaria ordinatione loquimur. Quod tu quidem teste conscientia tua, qua te tacitè arguit, sentis: sed nisi negares, nihil ad respondendum contra libros meos haberes. Omitamus igitur quod frustra, & sine vlla necessitate, quia nemo negat, scribis, non posse esse successores Apostolorum eos, qui doctrinam Apostolorum non docent. Quod si Episcopos nostros tales esse putas, id est, non docere doctrinam

Cōsuetudo
 scripturæ ex
 altero duo-
 rum, quæ nõ
 sũt separan-
 da, alterum
 simul intel-
 ligendi, &
 quomodo
 ex ignora-
 tione huius
 consuetudi-
 nis magna
 pars hæresis
 Lutherana
 nata est.

Quod pres-
 byterium in
 epist. Igna-
 tij cœtum
 Episcoporum
 significet, id
 est, synodũ
 Episcoporum.

Quomodo
 Ignatius, &
 alij patres
 cũ de cœtu
 Episcoporum
 Apostolos
 representã-
 te loquan-
 tur, de Epi-
 scopis lo-
 quũtur, qui
 in fide, &
 doctrinã A-
 postolis suc-
 cesserunt.

Arinam Apostolorum, ut paulo pòss affirmas, debetis non dicere tantum, ut ille
 Armenianus quem sepè dixi, sed probare etiam. Nobis verò quod doctrinam
 Apostolorum doceant et ministri vestri non, ut verbis beati Cypriani utar, pro-
 batio est ad fidem facili compendio veritatis. Scribit Ioannes in epist. sua pri-
 ma, vos quod audistis ab initio in vobis permaneat; quia si in vobis permanse-
 rit, quod audistis ab initio, & vos in filio, & patre manebis, hæc scripsi vo-
 bis de ijs, qui seducunt vos. At nos sumus Antoni, in quibus permanet, quod
 ab initio à nostris episcopis audivimus; est igitur successio Apostolica doctrina in
 successione vicaria ordinationis eorum. Aut ostendite vos, quando in Ecclesia
 nostra, quæ per cunctum orbem diffusa est, non sic docebatur, sicut in omnibus
 Ecclesijs Catholicorum docetur. Et ad Timoth. scribit apostolus, & quæ audi-
 sti à me per multos testes, hæc commēda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et
 alios docere: quæ Timoth. à Paulo apostolo audierat, illa eadem audiebat Pau-
 lum in omnibus Ecclesijs docere, ut ipse in epistola ad Corinth. priore, sicut &
 in omnibus, inquit, Ecclesijs sanctorum doceo, omnes enim Ecclesia testes erant
 apostolica doctrina, quam Timotheus ab apostolo Paulo audiebat, similiter te-
 stes sunt omnes Ecclesia Catholicorum per cunctum orbem apostolica doctrina
 Ecclesia Romana, quia cum omnibus Ecclesijs cōmunicat. Responde tu Anto-
 ni, quid horum Lutherani conuenit? permansit ne in vobis quod ab initio au-
 distis? aut fuit ab initio doctrina Lutheri? si ais, proba. Auditum ne erat per
 multos testes, quod primus & solus Lutherus cum cœpit, docuit? docebat sic
 Martinus Lutherus in alijs Ecclesijs extra Germaniam, cum in Germania do-
 ctrinam suam docuit, & de suo nomine sectatores hæresis suæ Lutheranos vo-
 cauit? cōmunicatis ne cū omnibus Ecclesijs Catholicorū? an potius ubiq; facti
 estis anathema? ubique carceres, cruces, & ignes parati. Nos, ut verbis Irenæi
 martyris apostolici auctoris utar, eam quam habet Ecclesia Romana ab apo-
 stolis traditionem, & annunciata hominibus fidem per successiones Episco-
 porum peruenientem vsq; ad nos proferentes confundimus, inquit, eos, qui quo-
 quomodo vel per sui placentiam malam, vel vanā gloriam, vel per cæcitatem,
 & malam sententiam præterquā oportet, colligunt: Sic nos confundimus vos,
 qui non potestis proferre, nisi traditionem doctrinae Lutheri, partim ante eum,
 partim post eum in vniuersis Ecclesijs anathematizata peruenientem vsq;
 ad vos per successiones ministrorum quos ille instituit, & sua doctrina imbu-
 it; quam animo irato & percito, tum superbia, arrogantia, & contumacia elatus,
 & odio in aduersarios concitato partim excogitauit, partim ab hereticis ante
 damnatis mutuatus est. Ede Antoni origines doctrinae Lutheranae vnde cœpit?
 à quo nomen habet? in quibus ante Lutherum fuit? si enim ab initio audita est,
 & permansit in ijs, qui eam vobis tradiderunt, quorum primus fuit Martinus
 Lutherus

Quomodo
 probamus
 nos Episco-
 pos nostros
 docere apo-
 stolicā do-
 ctrinā testi-
 monio Ioa-
 nis, & Pauli

Quomodo
 omnes Ec-
 clesie per
 cunctum or-
 bem testes,
 sunt Apo-
 stolicæ do-
 ctriæ ecclē-
 siæ Rom.
 Quomodo
 probamus
 doctrinam
 Lutheri nō
 esse aposto-
 licam.

Qualis do-
 ctrina Lu-
 theri, à qui-
 bus accepta
 & quomo-
 do tradita.

Si doctrina
 Lutheri ab
 initio fuit,
 tunc, quid
 necesse est
 tunc sequi.

Lutherus

Quare Lu-
therus coc-
pit docto-
res sanctos
cōtemnere.

Quod iudi-
ciū Lutheri
de sanctis
doctoribus
faciebat, te-
ste, & aucto-
re Aurifa-
bro.

Coniuales
sermōnes
Aurifabrii.

Antonij
mēdacium.
Quomodo
necesse sit,
vt traditio
Apostolica
doctrinæ
per successi-
onem Epi-
scoporum
ad nos per-
ueniant.
Quæ sit cer-
ta, & neces-
saria nota
Apostolica
doctrinæ.

Lutherus heresiarcha, necesse esset, vt omnes libri veterum, & sanctorum pa-
trum pleni doctrina Lutheri reperirentur, vt quidem reperiuntur referti do-
ctrina Catholica Ecclesia Rom. per cunctū orbem propagata. Quod quidem cū
ita esse Lutherus sciret, cepit astute verbū Dei iactare & tradere scripturas p-
prio spiritu interpretādas esse, et doctores sanctos contēnere. Vide Antoni, vt te
tui magistri pudeat, quid Aurifaber in sermonibus coniuualibus, quos de dictis,
et gestis Lutheri collegit, de iudicio, quod Lutherus de sanctis doctoribus facie-
bat, scripserit. Hiero. (aiebat) legi potest propter historias: nam propter fidem,
propter veram religionem, & doctrinam, nō est quod legatur, cum de eo vnum
verbum in eius scriptis non reperiatur, neq; debet inter patres, & doctores Ec-
clesiæ annumerari. Fuit enim hereticus. Originem iam ego proscripsi. Chryso-
stomus nihil etiam apud me valet, est tātum rabula. Basilius nihil quoz valet,
est tantum monachus, ego nollem pro illo vnū capillum dare, sed apologia Me-
lanchthōis superat omnes doctores in tota ecclesia. Omitto reliqua eius generis,
si mihi fidem non adhibes, qui nescio Germanicè, sermones enim istos con-
iuuales Germanica lingua scripsit Aurifaber, adhibe domino Edero doctori
Viennensi & consiliario imperatoris viro grauissimo, qui hac in Euangelica
inquisitione, (sic enim librum suum inscripsit) ex illis sermonibus excerpfit.
Redeo ad mendacia cauillatoria libelli tui. Neque verum est, inquit,
quod putat Turrianus istam ordinationem, quam vicariam ap-
pellat, esse certam notam successionis Apostolicæ, nam (vt infini-
ta alia prætermittam) cum Paulus Ephesinos Episcopos, vel pres-
byteros compellans, noui, inquit, ex vobis ipsis exorituros, qui lo-
quantur peruersa, vt discipulos post se abstrahant, certè illi habe-
bant vicariam istam ordinationem, neque tamen erant Aposto-
lorum successores. Indica, vbi ego dixerim vicariam ordinationem esse cer-
tam notam Apostolicæ successionis, vt si non indicaueris, tute mendacij reum
esse conuincas. Non enim est dubium, quin is, qui est Episcopus, hereticus fieri
possit; sed rursus, cum verbum Dei nō possit audiri sine predicante, nec aliquis
predicare, nisi mittatur, consequens est, vt traditio Apostolica doctrinæ nō nisi
per successiones Episcoporum, qui ipsis Apostolis primis ministris verbi vicaria
ordinatione succedunt, vsq; ad nos perueniat. Ita vt illa sit Apostolica doctri-
næ traditio, quam per successiones Episcoporum Catholicorum vsq; ad Aposto-
los tanquam ad originem suam reuocare possumus, vt sic probemus in nobis
permanere, quod ab initio audiuius secundum sententiam beati Ioannis. Hac
est certa, & necessaria nota, vt tuo verbo vtar, Apostolica successionis, scilicet,
reuocatio doctrinæ per successiones Episcoporum vicaria ordinatione vsque ad
Apostolos, qui Episcopus dum vixerunt, ordinarunt, & illi alios, & alij alios
deinceps

deinceps vsq; ad nos. ita vt doctrina illa testimonio Apostolica traditionis ca-
 reat, qua non fuerit semper ab initio vsq; ad nos predicata, quod non potest nisi
 per successiones Episcoporum constare, quia ipsi sunt primi ministri verbi, qui
 alios ministros verbi mittunt, & quorum iniussu nemo verbo Dei ministrare
 potest secundum canonem Apostolorum. Vt autem tales sint Episcopi in Eccle-
 sia Catholica per cunctum orbem diffusa, vt per eorum successiones perueniat
 vsq; ad nos apostolica doctrina traditio; & doctrina, qua nobis predicatur per
 eandem successiones Episcoporum vsque ad ipsorum Apostolorum traditionem
 reuocetur, Episcopus Romanus B. Petri successor prouidet. ipsius enim auctori-
 tate, ordinationes omnium Episcoporum Ecclesie Catholicae fiunt, sed non prius,
 quam de eorum confessione fidei Catholica constet. Testimonio sunt synodica
 epistola, qua hodie extant, quas olim patriarcha ad Episcopum Romanum de
 confessione fidei sua ex Oriente mittebant, quod vt facilius, & expeditius, ac
 citius fieret, Archiepiscopus Thessalonicens. erat vicarius Episcopi Romani, cuius
 auctoritate ordinationes episcoporum confirmabat, vt ex epistolis Leonis primi
 perspicui potest. Vnde ad Romanam ecclesiam ait S. Irenaeus propter potentiorum
 principalem necessesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt
 vndiq; fideles, in qua semper, inquit, ab ijs, qui sunt vndiq; conseruata est ea,
 qua est ab apost. traditio. Ecclesia ergo, qua ad ecclesiam Rom. propter prima-
 tum pontificis, qui in ea cathedram B. Petri habet, non conueniunt, huiusmodi
 episcopos, per quorum successiones apostolica doctrina traditio veniat, habere
 non possunt. Quod ergo a me petis, inquires, Primum igitur omnium pro-
 ba nobis si potes Episcopos pontificios, adeoq; ipsum Pontificem
 recte, ac legitime vocatos esse, (sic enim ait Christus, euntes doce-
 te) deinde pure Euangelium docere, sacramenta ita, vt praescri-
 ptum est, administrare, & ea omnia praestare, qua Christus man-
 dauit. Tunc ἀποδεικνύωσ effeceris, Christi promissionem ad illos
 pertinere. Probatum Anton, recte, & legitime vocatos esse, quia auctoritate
 primi episcopi, qui est successor Petri principis apostolorum, ordinationes eorum
 facta sunt, approbata prius eorum confessione fidei, & habita questione de mo-
 ribus, & populis eorum assentientibus; nullus enim episcopus populo repugnan-
 ti, & inuito praepositur iuxta canonem apost. licet tu virumq; horum de mori-
 bus & assensu populi negabis, quia nolles ita esse, vt odium tuum in eos iustum
 tibi videretur. virum vero postea omnia praestent, qua Christus mandauit, quis
 te iudicem constituit? cur tu maius iudicium subis, sicut beatus Iacobus ait, dum
 ipsos iudices iudicas? iudices enim spirituales sunt episcopi: an si quando aliqui
 episcopi non sint tam sancti, aut probi, aut iusti, aut benigni, (etsi tu miser nul-
 lum excipis, omnes putas flagitiosos, & sceleratos) an continuo poenitebit Deum

Qua doctri-
 na testimo-
 nio aposto-
 lica doctri-
 nae careat.

Quomodo
 Episcopi Ro-
 mani est p-
 uide, vt
 doctrina, q
 in Ecclesia
 traditur, per
 successiones
 Episcoporum
 legitimas
 ad ipsorum
 Apostolorum
 traditionem
 reuocetur.

Quomodo
 nos proba-
 mus, quod a
 nobis An-
 tonius req-
 rit, Episco-
 pos nostros
 recte, & le-
 gitime vo-
 catos esse.
 Quomodo
 Antonius
 iudicem iu-
 dicum se fa-
 cit, & maius
 iudicium
 tubit.

Quomodo
Christus nō
definit esse
cum gratia
sua, quan-
diu manet
gratia.

doni sui & vocationis? An non legisti, vel potius non intellexisti, quod Paulus ad
Timotheum scripsit, noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per
prophetiam cum impositione manuum presbyterij? de ordinatione Episcopi lo-
quebatur, quae gratia Dei est, quamuis negligenter administraretur ab eo, qui ac-
cepit. Si gratia Dei est, & eam non amittit, qui postea non praestat omnia, quae
Christus mādauit, quomodo Christus definit esse cum gratia sua? i. cum eo, qui
illam accepit, & adhuc habet? ita vt per eam gratiam efficiatur, quod Deus per
eam effici voluit, quamuis malus sit, & indignus, qui eam habet, quia semel da-
ta est ad aliorum vtilitatem; & nequitia ministri non potest reddere deterius
beneficium Dei: licet ille ministerium suum malè ministrando imhonorat.

CAPVT II.

” **A**IS deinde, Atque vt videas quam parum aptè ratiocine-
” ris, si tibi credimus hunc locum Matthæi interpretanti,
” eo nos deducet tua argumentatio, vt dicamus semper fu-
” turos esse aliquos, qui omnes gentes doceant, id est, sem-
” per futurum Apostolorum cœtum, & ordinem in Ecclesia (nam
” apostolorum fuit omnes gētes docere, vt antè dictum est,) at illud
” esse falsissimum non tantum ratio, sed etiam experientia confir-
” mat. Si putas Apostolos omnes gentes docuisse, & non spectasse etiam ex par-
” te hoc præceptum ad Episcopos Apostolorum successores, experientia ipsa te
” refellit, et redarguit. Audire enim potes, nisi surdus es, aut non vis credere, quā
” multæ gentes, quibus nunquam fuit Euangelium prædicatum, nec vllum vn-
” quum vestigium prædicationis audite deprehensum nostra aetate, idolorum cul-
” ture relicto in Oriente, & Occidente ad fidem acceperunt; & quotidie accedūt.
” Continuo dices hic, noui enim quam sis promptus ad aucupandum cauillatione-
” nes, non esse Episcopos, qui illis prædicant, An non satis est ab Episcopis mitti?
” & Episcoporum adiutores esse? an nō ministrabant verbo, Lucas, Urbanus, Ti-
” motheus, Clemens, & ceteri adiutores Pauli, quos ipse sic vocat? Si prædica-
” tum est Euangelium regni à sanctis Apostolis in vniuerso orbe in testimonium
” gentibus, & illis solum mandatum est docere omnes gentes, iam olim debuit
” venire consummatio. Hoc tantum postèrius ne concedas, negabis credo supe-
” rius. Eo igitur te deducit mea argumentatio, vt nisi verbo Dei repugnes, con-
” cedas semper futuros esse aliquos, qui quod Dominus dixit faciendum esse an-
” te consummationem sæculi, faciant, prædicare scilicet in vniuerso orbe, id est,
” omnibus gentibus in testimonium illis, vt sint scilicet inexcusabiles. Illud etiam,
” quod absurdum consequens putasti, semper futurum esse Apostolorum cœtum,
” & ordinem in Ecclesia, non intellexisti, quemadmodum hoc verum est, nec si
” dicam.

Quomodo
cogitur An-
tonius fate-
ri, nisi ver-
bo Dei repu-
gnare velit,
semper fu-
turos esse, q-
ui prædicent in
vniuerso
mundo, id
est, omnib-
us gentibus in
testimonium
illis.